

sessio, fingendo aliquem actum apprehensionis intervenisse; tunc bene possit hoc facere, cum procedat inducendo fictionem: & dicit quod istam opinionem videtur tenere Cin. & ibi Bald. in ea leg. Cod. de Condiçt. ob causam, ubi Cin. 2. column. in medio dicit, quod consuetudo quæ est in regno Franciæ, quod possessio defuncti continuetur in hæredem; significat, quod defunctus ante mortem videtur tradere possessionem hæredi, & ipse hæres videtur accipere de manu ejus: & in expresso per ista verba istam opinionem tenet Aretin. in leg. 1. ff. de Acquir. posses. 8. column. num. 23. de quo nullam mentionem facit prædictus Doctor de Segur. ante eos etiam istam opinionem tenet Cald. in cap. Contingit de dolo, & cont. 1. column. n. 1. argumento text. in leg. Denique ff. Ex quibus caus. major. & in leg. cum hæredes. §. 1. ff. de Acquir. poss. cum similib. Sed salva tantorum virorum pace, ista opinio non potest procedere, quia constituit differentiam verbalem & non realem: præterea, possessio & omnis effectus ejus est introducta à jure, mediante forma & solemnitate traditionis vel apprehensionis: ergo lege contraria potest tolli illa forma, & potest effici ut sine ea quaratur prædicta possessio juris & ejus effectus, argumento text. in leg. 1. ff. de Constit. princ. & in leg. fin. Cod. de Legib. text. in leg. de Quibus in fin. ff. de Legib. Nec obstat ratio in qua se fundabat prædictus Doctor de Segur. scilicet, quod acquisitio possessionis est de jure naturali gentium, cum ab eo introductum sit quod quaratur per actum naturalem, ut in leg. 1. Cum materia. ff. de Acquirend. posses. in leg. Ea qua civil. ff. de action. & oblig. cum similib. ergo lex civilis positiva non possit in hoc disponere contra jus naturale vel gentium. Quia faciliter ad hoc respondeo primo modo, quod illa vera naturalis apprehensio & rei insistentia bene erat de jure naturali, & illa dicebatur illo jure possessio; tamen hodiè de jure civili possessio est quoddam jus intellectuale, & incorporeum acquisitum in re cum effectibus à jure attributis: Unde hanc juris possessionem potest lex nova vel statutum transferre sola sua dispositione sine aliquo actu apprehensivo. Vel aliter & secundò,

quod licet ipse actus & modus quærendi possessionem sit inventus de jure naturali vel gentium, tamen nulli dubium est, quin lex civilis positiva possit disponere modificando, distinguendo, addendo, vel detrahendo: ita notat Innoc. in cap. Qua in Ecclesiarum, de constit. in fin. & ibi Abb. & communis opinio: idem Innocen. Abb. & DD. in C. fin. de Consuet. Bartol. in leg. Omnes populi. ff. de Just. & jur. 8. column. num. 22. & ibi latè Modern.

Unde in hoc singulari & subtili articulo teneo pro vera & resolutiva sententia, quod lex vel statutum potest simpliciter & absolute ipso jure transferre possessionem in aliquem nullo interveniente actu vero vel ficto apprehensivo possessionis: (7) & in expresso ita probat ille text. singularis & unicus, in leg. Raptores, Cod. de Episc. & Cleric. ibi: *Plenam possessionem earumdem rerum nostro habeat beneficio*, & ad hoc summè notat & dicit unicum Bart. in princip. num. 2. Paul. de Castr. ultim. not. illum etiam dicit ibi unicum Pet. de Vernia in Addit. ad Jacob. But. in 1. column. in princip. & alii ibi non tangunt, & illum text. ad hoc dicit etiam unicum Angel. de Perus. in leg. 1. ff. de Distract. pign. in princip. illum etiam dicit singularem, & unicum Jas. in leg. Si is qui pro emptore 25. column. num. 16. & per illum text. ita tenet Ludovic. Rom. qui notabiliter loquitur in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. 6. column. propè finem. Alexand. ibi 14. column. num. 57. Jas. ibid. 17. column. num. 72. qui dicit etiam singularem & meliorem de jure: Vincent. ibi 30. column. num. 71. Alexand. in leg. Cum hæredes, eodem. tit. 1. column. post princip. idem Alexand. in cons. 24. 1. column. 3. volum. consilior. ubi dicit hanc esse communem opinionem. Verum tamen est, quod ille text. omnino hoc non probat: nam in quantum dicit; *nostro habeat beneficio*, posset intelligi, scilicet, si petatur, & à giudice declaretur, & sequatur traditio: & ita respondet ad illum text. Aret. in dict. eod. tit. Secundò pro ista sententia & conclusione facit text. in cap. 2. de Consuetud. ubi dicit, quod si quis donat Ecclesiæ aliqua bona sua, & appouit modicum terræ super altare, statim est quæsitæ possessio Ecclesiæ:

(7) Quam etiam tenet Gomez Arias hic num. 2. & 8. & hanc dicens communem Covarrub. lib. 3. Variarum, cap. 5. num. 6. versic. Caterum, Suar. in l. 8. titul. de las Herencias, lib. 3. n. 15. & pluribus sequent. Chassan. in consuetudinib. Burgundiæ rubr. 7. §. 1. certam. 237. column. 1. num. 15. ubi plures casus enumerat, ubi possessio absque apprehensione transfertur. Greg. in l. 6. glos. pen. titul. 30. part. 3. Perez ad Segur. in leg. Quemadmodum num. 103. ff. de Acquirend. poss. ubi alios plures casus congerit Molin. lib. 3. de Primogeniis cap. 12. num. 15. & 19. Matienz. alios plures allegans, in leg. 8. tit. 7. lib. 5. glos. 2. num. 5. Menchac. de Succes. creat. §. 21. num. 109. & Controvers. illustrium cap. 57. num. 25. Castill. hic num. 12. Cifuent. num. 33.

sia: ergo ibi est casus, quod lex, statutum, vel consuetudo potest inducere, ut quaratur possessio sine apprehensione: & ad hoc illum text. notat & commendat Bald. in leg. fin. Cod. de Sacros. Eccles. 3. column. versic. *Unum tamen non est omittendum.* idem Bald. in leg. Traditionibus, Cod. de Paçt. fin. column. in fin. idem Bald. in leg. 1. C. Si plures una sentent. 3. column. num. 3. Angel. & Imol. in leg. Qui universas, §. 1. versic. *Item quod à mari.* ff. de Acquir. posses. idem Angel. in leg. Licet, Cod. eod. titul. 1. column. num. 4. Sed in veritate ille textus hoc non probat: quia ibi intervenit aliquis actus saltem fictus & interpretativus possessionis, scilicet appositio modicæ terræ super altare; & ille subrogatur loco actus, veri, mediante consuetudine, de qua ibi; & sic non potest dici, quod ibi quaritur possessio ipso jure sine aliquo actu. Unde verus & realis sensus illius text. est, quod sicut possessio transfertur mediante aliquo actu ficto à jure introducto & determinato, quos supra bene numeravi: ita lex nova, statutum, vel consuetudo posset alios quoslibet actus fictos de novo creare & inducere, per quos transeat possessio in aliquem: & ista est propria & vera intentio & decisio illius capitul. & in expresso ita eum notat & declarat Anton. de But. ibi 2. column. n. 2. dicens, quod in hoc fortè alibi non reperitur: & ita eum ad hoc notat & commendat. Imol. 2. column. in princip. num. 8. Abb. ibi 3. column. in 3. notabil. Car. 2. column. Anchar. 2. column. in princip. & ista est intentio Innocent. dum in confirmationem illius textus allegat alios actus fictos de jure communi: & in expresso etiam illum textum sic intelligit & notat Bald. in Rub. illius titul. de Consuet. 2. column. n. 14. idem Bald. in leg. Licet 1. lect. 2. column. in med. Cod. de Acquir. posses. & in expresso ita intelligit illum text. Innocent. in cap. In litteris, de restit. spol. 3. column. in princip. versic. *Fatemur tamen.* Pro qua sententia & conclusione ego considero noviter ultra omnes DD. text. juncta Glossa & communi opinionem, in leg. 1. §. In operis. ff. de Oper. nov. nunt. ubi dicitur, quod si possessor nuntiat solo verbo novum opus ædificanti in re illa vel fundo quem possidet, statim perdit possessionem & quaritur adversario, si talis nuntiatio fiat in ipso opere: & sic ille est novus ac-

tus fictus inductus à lege ultra alios, & est satis nova ponderatio; & iste novus actus non est omnino abstractus ab actu corporali; cum ibi interveniat præsentia rei, cum nuntiatio de necessitate debeat fieri in ipsa re vel fundo in quo opus fit, ut in leg. de Pupillo. §. Nuntiat. ff. de Oper. nov. nunt. sed stat virtus specialitas, quod in isto casu nuntians non dicit se transferre possessionem in alium & expressè & mediante titulo, sed tacitè & sine titulo, nunciando sibi novum opus; & in hoc consistit vera & realis declaratio illius text. Tertio pro ista parte facit text. singularis melior de jure in cap. Contingit. de dolo & contumacia, ubi dicitur, quod si actor dolo vel potentia adversarii non potest mitti in veram & actualem possessionem rei, ipso jure & dispositione illius textus post annum efficitur verus possessor: ergo ibi est expressus & formalis text. quod lex vel canon non potest sine aliquo actu vero vel ficto transferre possessionem: & ad hoc illum text. expressè notat & dicit mirabilem ibi Bald. 1. column. n. 1. & illum ad hoc etiam reputat mirabilem Cardinalis ibi, 2. column. num. 2. facit etiam text. in cap. 1. eod. tit. & ibi tenet & notat Anchar. 1. column. 2. not. Quarto facit text. valde notabilis in cap. Cum Ecclesia Sutrina de causa posses. & propr. in med. ibi: *Clericos sæpè dictos, &c.* ubi ex dispositione illius text. reducitur quis in possessionem juris incorporalis ipso jure sine aliquo actu possessionis: & ad hoc summè notat ibi Bald. 2. column. n. 5. & illum text. in hoc dicit notabilem Aretin. in leg. 3. ff. de Acquirend. posses. penult. column. in princip. Quintò pro ista parte facit text. singularis, & unicus in leg. Quamvis. ff. de Bonis autor, jud. poss. juncto. §. Superior. ubi habetur, quod si propter aliquod magnum impedimentum quis non possit mitti per judicem actualiter in possessionem ipso jure, dispositione illius legis habetur pro possessore: & ad hoc illum text. notat & dicit non habere concordantem Bart. ibi, & post eum alii DD. Sextò pro ista parte facit subtilis & inconvincibilis ratio: Nam possessio & omnis ejus effectus est jus, & non factum, ut in leg. Peregrè. ff. de Acquir. posses. ibi: *Jus possessionis*, text. in leg. Possessio quoque in princ. eodem titul. text. in leg. Nemo, Cod. eodem tit. in fin. text. in leg. Non ideo minus de liber. caus. text. in leg. Si ea res, §. fin. ff. de Action. empt. Sed in his quæ sunt juris regulariter lex disponit vel disponere potest sine aliquo medio fictionis: ita probat text. in Authent. Sed Episcopalis dignitas, de Episc. & Cleric. ubi quis efficitur sui juris ex legis dispositione sine aliqua fictione: text. in Authent. quibus mod. natur. efficitur.

effic. legit. collat. 6. text. in *Authent. quibus mod. natur. effic. sui*, col. 7. text. in *leg. Deo nobis*. §. *Si verò ultimam*, *Cod. de Episc. & Cler.* text. in *leg. Cum in adoptivis*, *Cod. de Adopt.* text. in *leg. 1. Cod. Si mancipium ita fuer. alien. ne prostituatur*, text. in *leg. 1. & per tot. Cod. Quibus ex caus. serv. pro premio liber. accipi*, & istam regulam & doctrinam ponit Bart. in *leg. Si is qui pro empr. ff. de Usucap.* 1. 1. column. num. 29. & 13. column. num. 42. idem Bart. in *leg. Nec utilem* 1. col. num. 3. ff. *Ex quibus caus. ma.* Aretin. in *leg. Cum har. §. 1. 2. col. in princ. ff. de Acquir. posses.* & istam doctrinam tenet & commendat Jas. in *dict. leg. Si is qui pro empr.* §. 1. col. num. 248. Ergo, &c. Septimò facit text. in *leg. 7. tit. 4. §. part.* ubi post tempus transfertur dominium & possessio rei donatæ in donatorem, vel hæredem, vel tertium. Imò, quòd magis est, ex superioribus & ex prædicta ratione noviter & singulariter infero, quòd nedum in aliquo casu particulari, sed etiam in omnibus casibus, contractibus, & alienationibus particularibus vel universalibus, possit lex, statutum, vel consuetudo inducere & disponere quòd transeat possessio ipso jure sine aliquo actu apprehensionis, & per consequens dominium & omnis effectus ejus: nam ut supra probavi, possessio sit propriè & verè jus quoddam à lege inductum, poterit illud transferre sua dispositione sine medio alicujus actus veri vel ficti. Nec obstat si dicatur, quòd acquisitio possessionis sit de jure naturali, vel gentium, ut in *leg. 1. ff. de Acquir. posses.* Quia jam subtiliter respondi supra proximè dupliciter: Vel aliter & tertio respondeo, quòd jura quæ dicunt, & eorum regula, quòd ea quæ sunt de jure naturali sunt immutabilia; debent intelligi quando illa jura inducebant necessitatem vel obligationem ex instinctu naturæ, vel ex gentium determinatione, ut *educatio sui ipsius, vel filiorum, pãcta licita & justa servare, alterum non ledere*, & similia, quæ ipsamet ratione naturali inter omnes gentes constituta sunt: & ista est intentio text. in §. *Jus autem civile*, versic. *Quòd verò naturalis ratio*, juncto. §. *Sed naturalia*, *Instit. de jure natu. gent. & civil.* sed illa quæ necessitatem vel obligatio-

nem non inducebant, sed erant merè voluntaria & in libera voluntate gerentis, ut *apprehendere vel possidere rem illam*, bene possint tolli per jus civile positivum. Et sic ex prædictis aper-tissimè patet, quòd ista nostra lex Tauri potuit benè disponere & inducere, quòd sine aliquo actu apprehensionis transeat possessio in successorem majoratus, etiam si non fingatur aliquem præcessisse: & hoc est quod voluit ista lex dum dicit: *Sin otro acto de apprehension: quod intelligo de vero vel ficto.*

Circa cujus tamen declarationem considero, quòd illa possessio quæ mediante ista lege ipso jure acquiritur, vocatur *civilissima* secundum Bald. in *dict. leg. fin. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* 3. column. (2) Vocatur etiam *dativa creata à l.* secundum Bald. in *Rub. de caus. pos. & propr.* 2. column. in *med.* & secundum eundem Bald. in *cap. Cum venisset de rest. spol.* 2. col. *prope fin.* Vocatur etiam *artificialis*, secundum Bald. in *d. Rub. de caus. posses. & prop.* 2. col. in *med.* quæ nomina non reperiuntur tali possessioni imposita à jure, sed tantum à nostris Doctoribus, secundum Roman. in *leg. 1. ff. de Acquir. posses. antepenult. colum. in fin.* & ita nuncupantur, quia creatur à lege sine medio alicujus actus corporalis veri, vel ficti; nativa verò possessio vocatur propriè illa quæ acquiritur mediante aliquo actu corporeo: non tamen per hoc est dicendum, quòd ista civilissima possessio constituit novam & distinctam speciem possessionis; sed significat & constituit tantum differentiam in modo acquirendi: ita Aretin. in *dict. leg. 1. eodem titul. §. 8. column. in princ.* & est de mente omnium DD. ubi supra.

Et in tantum est verum, quòd ista nostra lex Tauri potuit inducere & disponere ut in rebus majoratus transeat possessio ipso jure ut illa possessio sit vera & propria, & operetur omnes illos effectus quos operaretur vera possessio quæ sita per actum verum & naturalem: ita probat text. expressus in *cap. Contingit, de dolo & contum.* ibi: *Verus constituatur elapso anno possessor*, ubi si actor non potest mitti in veram & actualem possessionem, ipso jure efficitur possessor post annum: & ad hoc illum text. summè notat ibi Anton. in *princip. quarto not.*

Imol.

(2) Ita vocari testatur Tiraquel. plures referens in *tract. de Mort. in prefation. declarat. 7. num. 3. & 11.* ubi civilissimam rectè appellari probat hanc possessionem, quia juris civilis ministerio sine artificio nulloque actu interveniente, vero vel equipollenti, sed sola legis, statuti, vel consuetudinis dispositione transfertur. Ripa id rectè explicans in *rubr. extr. de caus. poss. & propriet. num. 23. & 24.* Molin. de *Primog. lib. 3. cap. 13. num. 13.*

Imol. in *princip. n. 2.* & communiter DD. (A) & ex hoc extenditur maximè text. in *leg. Certè*, §. 1. ff. *de Preca.* ubi dicitur, quòd possessio quæ sita per actum fictum est vera, & operatur veros effectus: quem ibi ad hoc notat Bartol. Angel. & Doctor. & reddit not. Bartol. in *leg. Si qui is pro emptore, pen. col. fin. quest. ff. de Usucap.* Bald. & DD. in *leg. Ab emptione ff. de pact.* idem Bald. in *leg. una, Cod. Quando liceat ab emp. dis.* Pro quo est melior text. in *leg. Quod meo. §. Si venditorem. ff. de Acquirend. poss.* quem reddit notabilem Aretin. 1. column. 3. not. ut procedat etiam si non sit quæ sita per aliquem actum verum nec fictum, sed ipso jure, ex l. dispositione.

Præterea & secundò in tantum etiam procedit ista lex, ut habeat locum tam in rebus mobilibus quàm immobilibus: ita probat ista nostra lex in quantum dicit: *Qualquier calidad que sean.* Confirmatur: quia majoratus, vinculum, & prohibitio alienationis ita potest fieri in rebus mobilibus, sicut in immobilibus: ita probat apertus text. in *leg. fin. Cod. de Rebus alien. non alien.* text. in *leg. Si ita si quis. §. Ea lege de Verbor. obligat.* text. in *leg. fin. §. Sed quia. Cod. Commun. de legat.* text. in *Authent. res qua, eodem titul.* unde nostra lex Tauri in omnibus intelligatur. Nec obstat text. in *cap. 1. §. fin. de Feudi cognition.* ubi feudum non potest constitui nisi in rebus soli vel solo cohærentibus: Quia procedit tantum in feudo.

Ulterius etiam & tertio in tantum procedit ista nostra lex Tauri, ut talis possessio, quæ transfertur in successorem majoratus, sit civilis & naturalis: ita expressè determinat nostra lex Taur. dum dicit: *Civil, y Natural*, & in hoc reputo eam mirabilem & notandam, quia si lex hoc non diceret, tantum intelligeretur quæ sita possessio civilis & non naturalis; quia cum quæ sita ipso jure, mediante lege naturalis non deberet quæri, cum illa requirat actum corporalem verum vel fictum: & in expressò istam sententiam & declarationem tenet solus Ancharan, in *dict. cap. 2. de Consuet. 2. colum. in princ.* ubi dicit, quòd possessio, quæ ipso jure quæritur mediante lege vel statuto, erit tantum civilis & nullo modo naturalis, ex prædicta ratione: unde fortè ex hoc lex ista expressè declaravit, quòd utraque possessio quæ sita. Et procedit prædicta lex, etiamsi successor majoratus sit in absentia rerum: quod apertè pro-

batur ex *dict. leg. 3.* cum simpliciter, generaliter, & indistinctè loquatur: Item etiam, quia præsentia rerum non est præsumenda nisi probetur: Item etiam, quia cum lex loquatur in successore universalis rerum majoratus, non est dicendum nec præsumendum quòd omnes res erant in præsentia successoris, mortuo possessore majoratus. Nec obstat si subtiliter dicas, quòd isto casu impossibile videatur quòd in eum transferatur possessio naturalis, cum non interveniat nec intervenire possit aliqua apprehensio rerum, ex qua sequatur naturalis possessio, nec similiter interveniat aliquis actus fictus, cum lex prædicta non procedat fingendo, ut dixi. Confirmatur ista difficultas, quia facilius conservatur possessio quæ sita quàm quæ sita de novo: text. est notabilis in *leg. Arboribus*, versic. *Quid tamen. ff. de Usufruct.* juncta *leg. Communis servus. §. Procurator. ff. de Acquir. posses.* text. in *leg. Si is qui animo, eodem tit.* juncto text. in *leg. 1. §. Adipiscimur*, versicul. *Sed furiosus*, & istam doctrinam ponit Aretin. Socin. & Jas. in *leg. Generaliter, eodem titul.* facit text. in *leg. Patre furioso. ff. de His qui sunt sui vel alien. jur.* text. in *leg. Invitus*, versic. 1. ff. *de Regul. juris*, text. in *leg. Papinianus. §. Si filius, de Inoffic. testam.* text. in *leg. 1. §. Quod autem ait prator. ff. de Superfic.* Sed in absentia non conservatur possessio naturalis, sed tantum civilis, ut in *leg. Clam possidere. §. Qui ad nundinas, cum simil. ff. de Acquirend. posses.* Ergo qualiter in casu hujus legis Tauri, etiam in absentia potest quæri illa naturalis? Et certè istæ sunt subtiles impugnationes contra istam legem; sed respondeo subtiliter, quòd cum possessio civilis & etiam naturalis & omnis ejus effectus sit jus & non factum, ut supra dixi & probavi; & in his quæ sunt juris lex possit disponere sine aliquo medio fictionis, ut etiam ibi dixi; meritò prædicta lex potuit utramque possessionem sua dispositione transferre in successorem majoratus. Ex qua lege sic confirmata ego infero esse novissimam legem ad hoc, quòd licet in absentia sola civilis possessio retineatur & naturalis amittatur, quando utraque erat juncta, ut in *leg. Clam possidere. §. Qui ad nundinas, cum simil. eodem titul.* tamen hodiè solùm in isto casu successor majoratus acquirit & retinet in absentia utramque possessionem, tam civilem quàm naturalem: & in hoc consistit vera & realis declaratio istius legis: Credo ta-

(A) Idem probat Tiraquell. in *tract. de Morte §. part. declarat. 1. & in lib. de Constitut. 1. part. ampliat. 2.* Menchac. de *Success. creat. §. 21. num. 110.* Matienz. in *Rub. titul. 1. glo. num. 119.* & in *leg. 8. titul. 7. lib. 5. gloss. 1. num. 10.*

tamen, quod si semel deveniat in actualem possessionem, & postea exeat de re, quod amittit naturalem & retinet civilem, ut infra dico.

Quartò in tantum procedit ista lex, ut habeat locum etiam si successor majoratus sit absens & ignorans; & aperte colligitur ex ea: Pro quo facit, quia sicut possessio mediante procuratore, servo, vel alio potest acquirere possessionem, ut in l. 1. C. de Acquir. posses. text. in leg. Si Glos. procurator la 1. supra, de acquir. rerum dom. & communis opinio, in leg. 1. §. Per procuratorem, & in leg. 1. §. Ita acquirimus, de acquir. posses. text. in leg. Labeo. ff. de Usucap. ita potest quæri mediante dispositione legis. (b) Confirmatur, quia lex potest conferre beneficium suum invitis; ergo & ignorantibus: text. est in leg. Itiam invitis. ff. de Acquir. rer. dom. text. in leg. Qui potest. ff. de Regul. juris. Quintò in tantum procedit ista lex, ut habeat locum etiam si successor majoratus sit incertus de rebus, ratione loci & quotæ: ita solus Socin. in leg. 3. §. Incertam, ff. de Acquir. posses. in princip. cujus ratio est, quia sufficit esse certum per legem, & lex semper est certa, ut in leg. Cum quidam. §. Suum heredem, de acquirend. hered. text. in leg. Illud. ff. Si pars her. pet.

Præterea & sextò in tantum ex dispositione istius legis Tauri transit possessio ipso jure in successorem majoratus, ut procedat & habeat locum etiam si possessio prædictarum rerum sit apprehensa & occupata per alium in vita possessoris majoratus, vel eo mortuo; & etiam si

ipsemet possessor majoratus tradiderit alteri possessionem prædictarum rerum, (c) & ita expressè determinat ista lex, ibi dum dicit, *aunque haya otro tomado la possession, &c.* In quo similiter est exorbitans & valdè notanda: quia si hoc non expressisset, nullo modo transiret possessio quando esset occupata ab alio; quia de jure communi, licet caveatur lege vel statuto, quod possessio defuncti vel alterius continuetur in heredem vel successorem universalem vel particularem, debet intelligi, nisi medio tempore, hoc est, in vita defuncti vel post ejus mortem fuerit occupata ab aliquo tertio; quia tunc non continuatur: ita subtiliter probat text. in leg. Pomponius. §. Quasitum. ff. de Acquirend. posses. ubi dicit text. quod si in vita defuncti vel post ejus mortem possessio rei, quam defunctus usucapiebat, fuerit occupata ab aliquo tertio, non continuatur heredi, ut detur accessio ad usucapionem complendam: ad idem est text. in leg. Numquam. §. Vacuum. ff. de Usucap. text. in leg. Possessio testatoris, eod. titul. Gloss. notabilis & communis opinio in leg. Cum miles, in glos. fin. in fin. ff. ex quibus caus. major. Ergo sic dicamus in nostro casu, quod si lege vel statuto cavetur quod in aliquem successorem transeat & continuetur possessio ipso jure, intelligatur, nisi ab alio sit occupata; & per illum text. in dict. leg. Pomponius. §. Quasitum, sic inductum, istam conclusionem & doctrinam tenet ibi Cuman. in fin. idem Cuman. in leg. Cum heredes, in fin. ff. de Acquir. posses. idem tenet Aret. reputans esse

sin-

(b) Et ita tenet Molin. de Primog. cap. 12. num. 24. Tiraquell. de Mort. 2. part. declarat. 17. num. 4. & latius in num. seq. pluribusque & urgentissimis fundamentis probabimus id procedere: Quo fit ut necessarium non sit requisitum à Palac. Rub. hic desideratum: ut scilicet, probare teneatur is qui prætendit in se translata ipso jure possessionem bonorum majoriæ, vocatum esse absque ulla dubitatione ad majoratum post mortem possessoris; de quo plenè ac integrè constare debere ait: verum cum lex semper sit certa de vero successore, statimque mortuo possessore transeat possessio in eum, qui verè vocatus est, licet ipse ignoret esse vocatum, vel prædecessorem mortuum, necesse non est ab ipso id probari, ut doctè animadvertit Matienz. in leg. 8. titul. 7. lib. 5. gloss. 4. per totam. Sed contrariam sententiam, scilicet successorem majoratus à primo institutore vocatum & ex natura primogen. à lege admissum, prius quam possessio in ipsum transferatur, tenet Palac. hic num. 2. Gregor. in leg. 7. titul. 4. part. 5. verb. Possessio. Mieres in tract. Majoratum 3. part. quest. 20. per tot. & his non relatis, Molin. lib. 3. cap. 13. num. 12. & 13. Velazq. de Avend. hic glos. 8. num. 8. & 9. ubi eum vocatum ad successionem majoratus dicit, ut possessio hujus legis ei competat, cujus vocatio aut institutio ex conjecturis deducitur; idemque testatur Molin. lib. 3. cap. 13. num. 43.

(c) Sequuntur eandem sententiam Cuman. Jas. Claud. Cassius, Corset. & Ruin. Dec. Affict. cum pluribus aliis relatis à Tiraquell. in tract. de Mort. 3. declarat. 5. part. num. 7. Molin. lib. 3. de Primogen. cap. 12. num. 17. Matienz. late id disputans in dict. leg. 8. tit. 7. lib. 5. Recop. glos. 5. à num. 1. cum 3. sequentib. & Velazq. hic, gloss. 9. per totam, & gloss. 6. etiam per totam. Gabriel. lib. 5. Commun. opin. tit. de Acquir. posses. concl. 9. num. 18. Suar. in leg. 8. titul. de las Herencias lib. 3. Fori num. 15. Gregor. in leg. 6. glos. penult. tit. 30. part. 6. Gomez. Arias hic, num. 6. Covarrub. lib. 3. Variar. cap. 15. cum 6.

singulare & novum in materia in leg. 3. §. Labeo, fin. column. in med. eod. titul. Alexand. non allegando prædictos DD. in Con. suis, 2. volum. cons. 83. 2. column. tenet etiam & reputat singularem Jas. in leg. Si sorori, Cod. de Jure dili. 2. column. in med. Philipp. Dec. in 4. volum. con. 467. 2. column. n. 8. idem tenet & commendat Jas. in dict. §. Quasitum 1. col. num. 2. idem tenet ante omnes Joan. de Imol. qui ab aliquo non allegatur in Con. suis, cons. 16. 2. column. num. 4. ubi plus dicit, & est notabile verbum, quod etiam eo casu, quo sola possessio civilis est occupata, naturalis possessio non transiret in alium virtute legis vel statuti: idem tenet & commendat Barbat. 2. volum. cons. 58. 11. column. num. 20. Contrarium ergo vult hodiè nostra lex Tauri, imò quod transeat possessio etiam si ab alio fuerit occupata; & hoc est quod significant & important prædicta verba legis: & hoc potuit facere illa lex; quia Princeps condendo legem generalem, potuit auferre illud jus possessionis alicui quasitum & alteri applicare: argumento text. in leg. Antiochenisium, & ibi Bartol. & DD. ff. de Privil. cred. & in leg. Si privatus. ff. Qui & à quibus, & in leg. Venditor. §. Si constat. ff. Commun. prad. & in leg. Lucius. ff. de Evic. & in leg. Item si verberatum, §. 1. de Rei vindic. notat Bartol. in Proemio Digestor. 3. column. Paul. & DD. in leg. fin. Cod. Si contra jus veluti publ. Modern. in leg. Gallus. §. Et quid si tantum de liber. & posthum.

Nunc autem circa istam legem quæro de subtili & necessaria quæstione, si fortè successor majoratus sit infans, vel furiosus, vel mente captus, an in eum transeat ipso jure possessio virtute hujus legis? Et videtur quod non: Primò, quia in quærenda possessione requiritur animus & voluntas quærendi, ut in leg. 3. & in leg. Quemadmodum. ff. de Acquir. posses. cum similib. supra, suo loco allegat, sed tales personæ sunt inhabiles & incapaces eorum, quæ consistunt in animo, ut in leg. Divus Marcus in princip. ibi: *Eo furore esse, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat.* ff. de Offic. presid. text. in leg. Furiosum, Cod. Qui testam. fac. pos. text. in leg. Pupillus si fari. ff. de acquirend. hered. ibi: *Quamvis non videatur scire hujusmodi ætatis puer: nec enim scire nec discernere talis ætas potest, non magis quam furiosus,* text. in leg. 2. §. Furiosus. ff. de Jure codicill. text. in leg. Qui jurasse, in princip. ff. de Jurejur. ibi: *Quamvis pupillus non videatur perjurare, quia sciens fallere non videtur,* text. in leg. fin. ff. de Jure & fac. ignor. text. in §. Præterea Instit. quibus non est permitt. facere testam. cujus verba sunt: *Præterea testamentum facere non possunt*

impuberes, quia nullum eorum animi judicium est: item furiosi, quia mente carent. text. in leg. Cum prætor. prope fin. ibi: *quidam natura ut surdus, mutus, & perpetuò furiosus & impubes: quia judicio carent.* ff. de Judic. text. in leg. 1. Cod. de falsa moneta, in versic. Impuberes, ibi: *Quia ætas eorum quid videatur ignorat.* text. in §. Pupillus, post princ. inst. de inut. stipul. ibi: *Quia hujusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum,* text. in leg. Furiosi. ff. de Regulis juris, cujus verba sunt: *Furiosi vel ejus, cui bonis interdicitur nulla voluntas est, & ex ista ratione non possunt de jure communi acquirere possessionem,* text. est in leg. 1. §. Adipiscimur, versic. Sed furiosus. ff. de Acquirend. posses. cujus verba sunt: *Sed furiosus & pupillus sine tutoris auctoritate non possunt incipere possidere, quia affectionem tenendi non habent:* text. in leg. Quamvis, §. Infans, ibi: *Nullus sensus infantis est accipiendi possessionem.* Ergo eis non potest quæri prædicta possessio civilissima virtute istius legis Tauri. Secundò pro ista parte facit: quia Princeps vel lex civilis positiva non potest tollere nec supplere defectum naturalem: text. est notabilis in leg. fin. C. Testam. milit. text. in leg. Discretis, in princ. C. Qui testam. fac. pos. text. valdè notabilis in leg. 1. §. Cæterum. ff. de Acquir. posses. facit bonus text. in leg. Cum prætor prope finem. ff. de Judic. ibi: *Quidam natura, ut surdus, mutus & perpetuò furiosus, & impubes: quia judicio carent: & istam regulam & doctrinam pro notabili ponit Paul. de Castr. in leg. Qui in potestate, §. 1. in fin. ff. de Testam. idem Paul. in leg. Quidam consulebant. ff. de Reg. jur. post princ. Abb. Panor. in cap. Cum vigesimum annum, de offic. Delegat. 2. column. n. 2. Bart. in leg. Si quaramus. ff. de Testam. 2. column. n. 6. facit etiam doctrina Innoc. in cap. Sciscitatus, de Rescript. num. 2. ubi dicit, quod inhabilitas judicis, quæ provenit ab ipsa natura, ut quia sit furiosus vel infans, reddit semper processum nullum, etiamsi illa exceptio non sit opposita à parte; licet secus sit quando est inhabilitas quæ provenit à lege, ut quod sit infamis, servus, vel mulier; quia judicium valet nisi opponatur ante litem contestatam; quam conclusionem & doctrinam tenet & sequitur ibi Ant. 2. column. n. 20. Imol. 2. column. num. 14. & alii DD. ibi: Ergo per illam legem Tauri non possit suppleri talis defectus naturalis, & sic eis non quærat possessio. Tertio facit, quia lex positiva etiam si procedat fingendo, non potest fingere super his quæ sunt impossibilia de natura in genere: text. est notabilis & ibi communis doctrina, in leg. Qui ad certum ff. de Locat. text. in leg. Adoptio. la 1. de Adopt. text. in leg.*

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.